

Contareni Schedula, III Maii MDXLI

In hac scheda, in qua convenerunt Theologi catholici et protestantes deputati a Maiestate Caesarea, in duobus locis admonendus est lector. Nam caetera omnibus perspicua sunt. Prior locus est ubi dicitur, quod non debemus niti iustitia nobis inhaerente, qua efficimur iusti et bona operamur, sed debemus niti iustitia Christi, quae nobis imputatur propter Christum et meritum Christi, hac etenim posteriore sumus iustificati coram Deo, id est habiti et reputati iusti. Hanc conclusionem nos putamus esse verissimam, catholicam et valde piam. Nam quemadmodum inquit Augustinus contra Pelagianos, qui putabant hominem posse in hoc mundo vivere sine peccato, ait lumen ecclesiae Augustinus: O Pelagiani, universa ecclesia in oratione dominica orat: dimitte nobis debita nostra, ergo unusquisque sentit se habere peccatum quod orat dimitti, nec dicendum est ullo pacto quod id petatur a viris quantumvis sanctissimis propter humilitatem, quasi qui sentiant se non habere peccatum, orant tamen sibi dimitti propter humilitatem. Nam haec humilitas esset fictio et simulatio coram Deo, non humilitas. Quare concludit sanctissimus doctor, quod revera ita est, quod unusquisque habeat peccata, quae rogat sibi dimitti, consimili ratione, cum universa ecclesia dicat: Domine non sumus dignus, et Daniel dicat: non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis prosternimus preces nostras ante te; item David in Psalmo, quem universa ecclesia dicit, inquit: exaudi me, domine, in tua iustitia et non intres in iudicio cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Universa ergo ecclesia fatetur, se non esse dignam, nullum in conspectu Dei esse iustificatum propria inquam et sibi inhaerente iustitia, ideoque petit se exaudiri in iustitia Dei. Idcirco sentit se indigere iustitia Dei, ut iustificetur in conspectu Dei. Iustitia autem Dei est Christus, et nos facti sumus, ut inquit Apostolus, iustitia Dei in ipso. Ecce quam clare hoc dicat Spiritus sanctus in Psalmo qui est oratio ad Deum nobis proposita ut ea utamur. Neque hic etiam possumus dicere, quod dicta sunt propter humilitatem, quia haec humilitas esset fictio et simulatio, non humilitas, ut dicebat Augustinus contra Pelagianos. Quam ob rem visa est Theologis catholicis ea conclusio verissima.

Alius locus est qui fortasse posset notari, quod scilicet non videant vocabulum meriti, ubi agitur de operibus bonis. Nam putarunt Theologi catholici non insistendum in hoc vocabulo, cum idem sit sensus, praesertim cum Thomas 2^a. 2^{ae} ult. q. art. p.^o dicat agens de merito nostro apud Deum, quod cum inter Deum et nos non sit iustitia simpliciter, sed quidam iustitiae modus, non est etiam meritum simpliciter, sed secundum quid, item Scotus in 3^a sententiarum dicit, quod meritum non ideo est acceptatum a Deo, quia meritum, immo ideo est meritum, quia est acceptatum a Deo, quae dicta minuunt rationem meriti absolute dicti. Idcirco ex doctoribus Scholasticis protestantes potuissent objicere nobis, quod non deberemus uti vocabulo meriti absolute. Propterea non est visum Theologis catholicis insistere in hoc vocabulo, cum idem sit sensus.

Note:

This text follows that printed in the *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, 30 November 1882.